HAHN

DE PRAESENTATIONE CAMBII

1864

DE PRAESENTATIONE CAMBII.

PROGRAMMA

QUO

AD AUDIENDAM ORATIONEM

PRO LOCO IN JURECONSULTORUM ORDINE JENENSI RITE CAPESSENDO

DIE XXVI M. AUGUSTI A. MDCCCLXIV HORA XI

PUBLICE HABENDAM

OBSERVANTISSIME INVITAT

FRIDERICUS DE HAHN

JURIS UTRIUSQUE DOCTOR.

1864

JENAE,

TYPIS FRIDERICI FROMMANN.

MDCCCLXIV.

Rec. March 21, 1892

Mercator quidam cambium more solito ita scripsit, ut nomini trassati urbis nomen apponeret. Trassatus illa in urbe eo tempore, quo cambium scriptum et remittenti traditum est, domicilium habebat, postea vero in aliam urbem se contulit ibique per plures menses moratus est. Hac in urbe cambium ei solutionis causa praesentatum est. Solutione denegata possessor cambii solemni modo protestationem fieri curavit, quae haec verba continet, trassatum se solvere non posse professum esse. Jam trassans, qui cambium redimere recusavit, a possessore actione cambiali conventus omisisse actorem regressum respondit, quia nec cambium in loco solutionis trassato praesentatum nec ibi protestatio esset interposita. Actor contra, ordinationem cambialem Germanicam articulo nonagesimo primo permittere, ut consentiente trassato cambium etiam alio in loco quam in loco solutionis praesentaretur ibique protestatio interponeretur. Quam legis interpretationem reus improbavit negavitque protestationis instrumento probari consensisse trassatum, ut alio in loco cambium praesentaretur.

Videamus, num regressus locum habeat necne.

Manifesti juris est locum solutionis necessariam esse cambii partem, ita ut omissa ejus mentione cambium ipsum vitietur. Qui cambium scribit certo illo loco summum cambialem numerari jubet, eaque non numerata ipse ex cambio obligatus est. Neque vero, nisi lex, quam cambio dixit, diligenter sit servata, actio adversus eum datur. Quum autem aliter numerari non soleat, quam exhibito cambio, necesse est, ut qui cambium teneat, ipso die solutionis in ipso loco solutionis cambio proposito numerationem exigat, sive, ut fontes juris cambialis dicunt, cambium ad solutionem praesentet. Quod nisi fecerit neque se fecisse solemni instrumento, quod protestationem vocant, demonstraverit, regressum adversus trassantem et indossantes non habet.

Quare, si cambium in alio loco praesentatur ibique solutione non praestita protestatio interponitur, perinde est, ac si praesentatio omnino facta non fuerit. Quod non est contra rationem. Neque enim actio hoc casu propterea tantum denegatur, quod regulae juris cambialis strictissimae sint interpretationis, sed hujus rei ea quoque causa afferri potest, quod trassantis indossantiumque maxime interest numerationem cambii in ipso loco solutionis exigi.

Mercator enim non omnibus locis, in quibus versatur, paratam habet pecuniam, sed ibi tantum, ubi rerum negotiorumque suorum summam constituit, aut ubi aliquam numerationem a se exactum iri exspectat. Facile igitur fieri potest, ut cambii alio in loco praesentati solutionem ea tantum ex causa, quod pecuniam praesentem non habeat, deneget trassatus. Denegationis ea quoque causa esse potest, quod, dum in itinere est, codices suos et epistolas sibi missas adeundi copiam non habet neque, num trassans litteras, quae dicuntur, advisorias miserit et de restituenda pecunia caverit aliaque multa exquirere potest, quae, ut solvat cambium nec ne, eum adducere possunt. Quare etiamsi trassatus non dixerit causam, cur solutionem cambii recuset, non in eo positam esse, quod domo absens sit, sed solutionem pure negaverit, tamen pro certo haberi non potest, cambium, si in ipso loco solutionis praesentatum fuerit, solutum non fuisse. Ipso enim die solutionis nuntius afferri potest quem si comperisset trassatus aliter sensisset, et quo accepto institor ejus, qui domi mansit, solutionem petenti non denegasset. Accedit, quod non raro fit, ut trassans etiamsi cambio commendatio (Nothadresse) non sit addita, tamen alicui mandaverit, ut trassante non numerante ipse pecuniam numeret. Saepe vero etiam trassans ejusmodi mandatum dare eam ob causam omittit, quia certus esse potest amicos in honorem literarum, ut dicunt, intervenientes cambium redempturos esse.

Quibus ex causis quum trassantis et indossantium, quorum par causa est, maxime intersit, possessorem in loco solutionis cambium praesentare, trassatus id non efficere potest, ut praesentatio alibi facta rite facta esse existimetur. Neque vero etiam, si trassatus alio in loco domicilium collocat, quam quo antea habitabat, cambio in novo domicilio praesentato protestationeque ibi interposita possessor regressum acquirit. Namsi trassans in ipso cambio solutionem alio in loco ac in domicilio trassati fieri jussit, si cambium, ut dicunt, domiciliatum est, nulla ab initio inter solutionis lo-

cum et domicilium trassati conjunctio intercedit. Quapropter ordinatio cambialis germanica articulo quadragesimo tertio sine ulla distinctione praescribit cambii domiciliati in ipso illo loco, in quem domiciliatum sit, solutionem exigendam esse. Sed etiam, si trassans nihil aliud egit, quam ut nomini trassati mentionem loci alicujus apponeret, idem est dicendum. Articulus enim quartus ordinationis cambialis germanicae haec habet:

> „Der bei dem Namen oder der Firma des Bezogenen angegebene Ort gilt, insofern nicht ein eigener Zahlungsort angegeben ist, als Zahlungsort und zugleich als Wohnort des Bezogenen."

Quum trassans, ut in certo tantum loco solvatur, constituendi liberam habeat facultatem, neque vero a voluntate ejus pendeat, quo loco trassatus domicilium habeat, itaque id tantum statuere possit, ut ille locus pro domicilio trassati habeatur, legem citatam ita interpretemur necesse est: Locum nomini trassati appositum locum solutionis esse, sed rite quoque agere possessorem cambii, si quidquid in domicilio trassati ei sit faciendum, exempli gratia praesentationem acceptationis causa, eodem in loco peragat, licet domicilium trassati re vera ibi non sit constitutum. Qua ex re sequitur, ut domicilii mutatio quoad locum solutionis nullius sit momenti.

Jam vero videamus, annon fortasse articulo nonagesimo primo ordinationis cambialis possessori et trassato facultas concessa sit de alio loco solutionis conveniendi eumque illi loco, qui a trassante constitutus est, substituendi.

Verba articuli haec sunt:

> „Die Praesentation zur Annahme oder zur Zahlung, die Protesterhebung, die Abforderung eines Wechselduplicats, sowie alle sonstigen bei einer bestimmten Person vorzunehmenden Acte müssen in deren Geschäftslocal und, in Ermangelung eines solchen, in deren Wohnung vorgenommen werden. An einem andern Orte, z. B. an der Börse, kann dies nur mit beiderseitigem Einverständnisse geschehen."

Quum trassantis rarissime intersit, qua in parte loci solutionis, ex. gr. qua in domo pecunia numeretur, locus solutionis generaliter tantum indicari solet ita, ut plerumque nil nisi urbis in qua solvendum sit, nomen cambio inscribatur. Neque vero inde sequitur, ut, si possessor in qualibet urbis parte cambium praesentaverit trassato forte sibi obviam venienti, rite praesentatum sit cambium. Manifestum enim est nonnisi

eo in loco solutio exigatur licere, ubi ejusmodi negotia geri soleant, in taberna scilicet mercatoria, aut si trassatus mercator non est vel tabernam non habet, in habitatione ipsius, quippe quibus in locis non solum pecuniam asservat, sed codices quoque et epistolas adeundi copiam habet. Accidere autem potest, ut trassatus, cui, quum foris sit, cambium praesentetur, exploratione illa opus non esse censeat ideoque possessori cambii statim se soluturum non esse declaret. Quo casu iniquum foret regressum possessori denegari, propterea lex quoque ejusmodi praesentationem et protestationem rite factam esse declarat. Articulus enim citatus praescribit: in taberna mercatoria, sive ea non existente in habitatione solutionem esse exigendam, alio autem in loco, ex. gr. in bursa mercatorum, id fieri non posse nisi possessore et trassato consentientibus.

Itaque lex possessori et trassato facultatem non dat loco solutionis et praesentationis a trassante constituto alium substituendi, sed lex ipsa locum illum plerumque generaliter tantum indicatum accuratius definit iisque quorum interest, ut aliter eum definiant, permittit.

Possessor cambii, qui solutione a trassato denegata adversus trassantem et indossantes actione experitur, causam actionis nonnisi solemni instrumento probare potest. Necesse igitur est, ut, quum cambii praesentatio non in taberna vel domo trassati facta fuerit, hac de re trassatum et possessorem convenisse ipsum instrumentum edoceat. Neque trassatus jam tum consensisse intelligendus est, quum ex protestatione non appareat eum dissensisse, sed quamvis non oporteat expressa, quae consensum contineant, verba protestationi inserta esse, tamen responsionis, quam possessori trassatus dederit, verba ita concepta esse debent, ut dubium esse non possit, eum re vera cum possessore convenisse, ut in illo alio loco praesentatio fieret. Itaque quum in protestatione legitur trassatum nihil dixisse, quam haec, se soluturum non esse, vel se solvere non posse, non elucet, annon fortasse id ipsum, quod domi sibi praesentatum non sit, vera denegationis fuerit causa. Quodsi aliam protulerit causam, ex. gr. pecuniam sibi deesse, vel se literas advisorias non accepisse, vel se trassantis, qui de restituenda pecunia non caverit, fidem sequi nolle, convenisse cum possessore existimandus est, ut praesentatio in illo alio loco rite sit interposita.

Quanquam, ut supra dixi, fieri non solet, ut trassans praeter urbem domum

quoque indicet, ubi numeratio facienda sit, tamen non intelligo, cur trassanti, qui cambio legem dicere potest, facultas non sit concedenda locum solutionis accuratius definiendi, ita ut ex. gr. numerationem in certa domo fieri jubeat. Quod si fecerit, possessori etiam consentiente non licet trassato alio in loco cambium praesentare, neque, si illa in domo trassatus die solutionis non invenitur, notario protestationem scribenti incumbit inquisitio, an alia in domo habitet trassatus, namque locus solutionis hoc casu domus illa est, non universa urbs. Summum, quod est Berolini, tribunal diversae sententiae argumentum id protulit, designationem domus, in qua solvatur, non pertinere ad essentialia cambii*). Hoc argumentum quamvis approbare non possim, id tamen facile concedam, neque trassantem, quum nomini trassati praeter urbem domum quoque simpliciter adscribat, hoc alia ex causa facere, quam ut indicet, ubi trassatus tabernam teneat vel habitet, neque legislatorem, quum locum nomini trassati appositum solutionis esse locum constituisset, de alio casu cogitasse, quam de eo, quod urbis tantum nomen apponeretur. Propterea domum certam non aliter locum solutionis habendam esse existimo, quam si expressis verbis in ipso cambio ita scriptum sit.

*) Siebenhaar, Archiv für Wechselrecht Bd. XII, S. 192.

Ex. f. M.